

Dionisius alius, nisi qui sibi contemporalis extitit, in Galliam missus est. Si autem pro eo, quod nec Eusebius neque Ieronimus huius missionis vel passionis memoriam facit, scriptor ignotus tamquam iure contempnendus obicitur, statim imperterritus respondebo nec ignotum neque contempnendum rei tantae scriptorem ideo esse, quia sanctissimum papam Gregorium auctorem antiphonarii primum antiphonas quasdam de eiusdem scriptoris historia nosco excerptisse, in quibus beatum Dyonisium et a sancto Clemente in Galliam missum et ibidem passum fuisse modulando perhibet. Et ut ipsius rei textum ostendam, antiphona quidem una missionem exprimens dicit¹: *Sanctus Dyonisius, qui, tradente beato Clemente Petri apostoli successore, verbi divini semina gentibus parturienda suscepit*. Alia² autem sui sociorumque eius passionem nichilominus enarrans ait³: *Beata nimium et Deo nostro grata societas, inter quos nec primus alter potuit esse nec tertius, sed trinitatem confitentes tunc^b meruerunt decorari martirio*.

16. Itaque cum antiphonae prioris verba protuleris, perfecto non quemvis Clementem, sed illum, qui Petri apostoli successor et discipulus erat, Dyonisium etiam non quemlibet, sed sibi contemporalem, quem^c utique nusquam alium nisi Ariopagitam esse leges, ad Galliae gentes transmisisse compulsus fateberis. Rursum cum subsequentis verba pronunctia-veris, necesse est, si tamen fidelis qui [haec^d narrat], eundem Dyonisium, quod de nullo altero, nisi fallor, invenies, martirii finem subisse fatearis. Eaedem^e vero antiphonae non solum in modernis, sed etiam in antiquis antiphonariis inveniuntur, utpote ab huius carminis auctore prolatae. Ideoque quod tantus ac talis vir scribit in suo carmine, nulli licet dubitare, etiamsi ipsius historiae, de qua scriptum est, auctor ignoretur. Non solum autem in carmine, sed etiam in homelia quadam huius viri mentionem facit idem sanctus Gregorius ita scribens: *Fertur, inquit³, Dyonisius Ariopagita, antiquus videlicet et venerabilis pater, dicere, quod ex minoribus anglorum agminibus foris ad explendum ministerium vel visibilibus vel invisibiliter mittuntur*. Quem enim veneratione tanta antiquum simul et venerabilem nominans scribit in sua omelia, ambigendum minime videtur, quin eundem venerari conatus fuisset in melodia. Sed esto, ut nequaquam ipse, quem dici-

a) Alii c. b) trium Migne. c) quid c. d) dies oder etwas
Ähnliches muss hier ausgefallen sein. e) Eadem c.

1) Gregorii Magni Liber Responsalis, Migne Patrol. Lat. LXXVIII, col. 807. 2) Ibid. col. 808. 3) Homilia XXXIV, Migne Patrol. Lat. LXXVI, col. 1252.